



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

Præfatio Ad Scholasticos Societatis Jesu.


---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)





\*\*\*\*\*

## PRÆFATIO

# Ad Scholasticos


## Societatis JESU.

**R**ogatus crebrò à nonnullis ve-  
strum, Patres & Fratres in Chri-  
sto dilectissimi, ut quemadmodum Sa-  
cerdotibus Ecclesiasticis, ita & vobis  
paulò accommodatius HOROLOGIUM  
spirituale concinnarem, annui libens:  
movit enim me I. Quia cum Apostolo,  
omnibus, & vel maxime Vobis Fra-  
tribus meis debitor sum. II. Quia fi-  
nis & regula Societatis in perfectio-  
nem proximorum (quos inter vos pri-  
mas tenetis) impense me jubet incum-  
bere. III. Quia hoc labore exiguo, sa-  
lutem propriam & gloriam Dei, etiam  
post fata, unice promovere desidero:  
nam ut divinitus edocta fuit S. Ger-  
trudis L. 4. cap. 13. In sin. divin. piet.

A


Quan-





Quandocūq; aliquis scribit vel alios docet, eā intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, & profectus, animarum; tunc omnis profectus, quem quis unquam ex illa Scriptura vel doctrina, etiam per mille annorum millia consequitur, totaliter cedit in illius salutem, qui suā intentione hoc Domino primitus prælibavit. *Hæc autem aliquo modo, pro tenuitate mea, præstiturus mihi videor, si ordinem diei ac methodum opera quotidiana (in quibus perfectio cujusq; consistit) exactè perfectèq; juxta prototypon Christi Domini, & SS. Patrum nostrorum ectypon obeundi, vobis exhibeam; id quod in Libello præsentè conabor: non eā mente, ut omnia in usum vestrum deducatis; sed quemadmodum in mensa lautè instructa, non omnia; sed quæ palato magis arrident, quisque delibat; ita hic,*  
quod





quod sapit, seligatis, ac constanter degustetis.

Hac ratione I. Vitam cum Christo, in Deo absconditam ducetis : id est opera vestra ordinaria, non ordinariè, sed perfectè, sanctèq; coram Deo, clam mundo, peragetis : & JESU Imperatoris nostri, ac SS. Patrum ac Ducum nostrorum imaginem simillimam, tam mentis, quàm corporis functionibus, seu JESU vitam, veri Jesuitæ exprimetis. II. Tempus nobilissimum & particulas Diei pretiosas, à nonnullis negligi solitas, utiliter impendetis ; atq; ingentes thesaurorum caelestium camulos pro aeternitate vobis comparabitis : verè enim asseruit S. Scholastica : Dies unus bene impensus obsequio Dei, plus valet, quàm millia annorum, ad obtinendum mundum universum. III. Ex voluntate S. Patriarchæ nostri, majorem Dei gloriam mirificè in vobis,



alijsq; promovebitis ; ac Dominum  
Deum nostrum assidue laudabitis : re-  
cte enim scripsit S. Augustinus: Quid-  
quid egeris , bene age , & laudasti  
Deum totâ die. *IV.* Deniq; perfe-  
ctionem ipsam , gloriamque caelestem  
pretiosam illam margaritam , cuius spe  
omnia dimisimus , & speciosam illam  
Rachelem , cuius amore , totâ vitâ la-  
boramus , absq; magna difficultate as-  
sequemini. Quod vobis & mihi ani-  
mitus opto & apprecor.

Geist & Anno 1696. 20.  
Ianuarii.

Omniun servus in Christo

J. D. S. J.